Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2921
Quelle:
Copyright:

Orationes sequuntur, quae in *Pez.* praecedunt. Hic numerat *Orationes* VII. Noster non nisi IV. et tamen harum prima: *Deus qui maxima quęque sacramenta* &c. inter *Pezianas* non est. Post *Orationes* in Nostro legitur haec Rubrica: *Post coniurationem autem et benedictionem aquę. exuat illos uestimentis eorum. et faciat illos per singulos osculari sanctum euangelium et crucem christi. et post hec de ipsa aqua benedicta aspergat super unum quemque* (et) *coniurat eum bis uerbis. Adiuro te* &c. Formulam habet *Pez.* sed non rubricam, neque *Versus*, quos Noster post Aquae benedictionem dici jubet: *Exurgat deus et dissipentur* &c. neque sequentem Rubricam ult. *Tunc statim proiciet eos in aquam. Hęc omnia debent ieiuni facere. neque illi* (Ministri?) *antea comedent. quam ipsos mittunt in aquam.* His adjectum est initium *Ordinis ad Caldarium et Ferrum* ut apud *Pezium col.* 635. sed Librarium spatium destituit. Itaque quemadmodum jam a *fol.* 2. ad *fol.* 84. saltaverat, inde rursus *fol.* 133. vacuam nactus membranam reliquum eo transtulit, quod incipit: *Interdico tam tibi quam omnibus o homo* &c. ubi *Pezianus* Codex *Missam* inserit, ibi noster ad *Missam* in *Ordine Aquae frigidae* jam positam provocat. Sequitur *Benedictio ignis, aquae et ferri*, ubi praeter *Litanias* Orationes seu Benedictiones tantum quinque, quarum ultima trajecta ad fol. 154. p. 2. habentur, adeoque pauciores quam in *Peziano.* Orationem interea, quae incipit: *Omnipotens Deus te suppliciter rogamus* &c. ille *Ordini Aquae Frigidae* inseruit. Ejusmodi porro leviores differentias observare est in similibus Ritibus *Purgationum* sive *Iudiciorum Dei* apud *Goldastum*, *Baluzium*, *Martenium*, *Ducangium*, *Mabillonum*, *Muratorium*, alios.

II. *fol.* 6. *Incipit Liber Enchiridion Sancti Augustini Porinienſis* (sic) *Episcopi Ad Laurentium Primicerium Urbis Romę.* Praeit Elenchus *Capp.* LIIII. sub picturatis, ut jam supra innui, Porticibus. Textus cum edit. *Maur.* T. VI. *Opp. Aug. col.* 194. collatus sat castigatus est, idque debet Viro docto et solerti, in cujus Acta et Scripta operae pretium foret, diligentius inquirere, quam hactenus factum novi, cujusque ne Patriam quidem in *Lexico Jöcherus* prodidit. Ita ille ad *Cod.* calcem: *Menradus Moltherus Augustanus Sacrarum literarum Professor, liberalium Artium magister IIII. Non. Feb. Anno Sal. MDXXXI. Spirę Collatum cum aliis ejusdem uetustatis exemplarib. restituit.* Non semper tamen optima in emendando fortuna usum esse *Moltherum*, ille C. 5. nobis *fol.* 7. p. 2. locus: *inchoari fide, perfici specie*, ostendit, ubi *ro specie*, quod *Codex* habebat, in *spe* mutavit, cum *Augustinus*, licet in *Enchiridio* de Fide, Spe et Caritate illi esset tractatio, hoc tamen loco manifeste ad illud Apostoli II. *Cor.* V. 7. *Per fidem ambulamus et non per spe-*